



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius


Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio L. Christus sub ponderosa cruce corruens pedibus impiorum conculcatur, & stimulis agitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO L.

Christus sub ponderosa cruce corruens,
pedibus impiorum conculcatur, & stimulis
agitur.

*Conculcaverunt me inimici tota die: quoniam multi bel-
lantes adversum me. Psal. 55. 3*

I.

2. Cor. 7. 5.

ERat David in arcta custodia & spelunca Odollam, omnibus spoliatus honoribus ac bonis: *Foris pugna, intus timores*; Saul eum contere, & conculcare voluit tanquam vilissimum ac contemptibilem homuncionem & insidiam regni; unde ad DEUM auxiliatorem suum levans vocem exclamavit:

Psal. 55. 2.
& 3.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me; Et pergit: Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me. Christus per hunc Davidem praefiguratus est, qui in

Hugo Card.
le Blanc &
alii.

passione sua tam cruenta, tam indigna jure merito queritur: *Conculcavit me homo*; Et quis ille homo? *Le Blanc*, quod hoc de Juda explicandum sit, qui diabolo pessimo obsessus, in monte Olivario Christum Dominum suum, cum caperetur, pedibus calcavit. O quot sunt peccatores pessimi, inveterati & ingratiissimi, quorum antesignanus Judas est, qui etiamnum dulcissimum JESUM vitam & moribus in cruce, ac praesertim in SS. Eucharistia conculcant, de quibus Veritas: *Quoniam multi bellantes adversum me.* Audiamus plura.

Math. 21. 10.

2. Ad solemnem Christi ingressum in Jerusalem in die Palmarum commota est tota civitas propter tam insolitum triumphum; ita in egressu illius, cum ponderosa cruce oneratus ad montem Calvarium ad redimendum hominem à diaboli jugo, exiret, rursus commota est universa civitas, ut videret Prophetam illum magnum tot prodigiis celebrem educi, & calcibus carnificum propelli ad mortem; o luctuosum spectaculum, quale nunquam vidit orbis.

Ver-

Vermis humi reptans sine misericordia calcatur ab hominibus. Audi mitissimum Redemptorem tuum: *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Eductus est inter blasphemias & convitia, inter impulsus & verbera, jam pedibus, jam lateribus, jam humeris & capiti inflicta, quasi semianimis, capite & collo depresso: *Crucem gestans*, ait S. Augustinus, *pondere gravem longo itinere, grave quidem pondus corpori, sed leve charitati;* unde in sinistro humero adeo magnum contraxit vulnus, ut inter reliqua senserit hoc esse molestissimum, hinc ad 80. gressus procedens sub tanto ac tam gravi podere concidit: hic verificatum est illud Isaia: *Quia corruit in platea Veritas.* Isa. 59. 14. Tanti ponderis erat peccatum meum ac tuum, o mi Lector!

3. De Amasa strenuo belli duce, quem Joab dolo occidit, dicit Scriptura: *Amasa autem conspersus sanguine jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quod subsisteret omnis populus ad videndum eum, & amovit Amasam de via in agrum, operuitque vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum.* 2. Reg. 20. 12.

Ecce Salvator tuus, optimus JESUS conspersus sanguine jacet in media via in Jerusalem, nullus eum amovit, nullus securum praebuit, sed pueri projiciebant lutum & lapides & ligna in eum, & ductores calcibus eum protundebant, ac propellebant, & ubi eum a lapsu in pedes erexerunt, de novo illi gravissimam imposuerunt crucem, quod trabale lignum peramanter amplexus est.

Et quid interim impia & ingratiissima Judaeorum Synagoga? *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial, ecce premunt te mala, quoniam vir sanguinum es.* Sic Uva & oliva calcatur in torculari, unde Dominus apud Isaiam ait: *Torcular calcavi solus, & non est vir mecum, qui patiat, vel compatiatur, & necessarii quoque mei recesserunt a me.* Isa. 63. 3. Job. 6. 13.

4. Josue invictissimus, juxta ac pientissimus belli Dux, ubi in celeberrima illa Gabaonica contra quinque Reges victoria solem astrorum Regem in caelo stare fecit, consummato praelio, Reges illos in spelunca latentes, & captos in medium produci fecit pedibusque calcari, ac tandem in ligno suspendi: *Ite, & ponite pedes super colla Regum istorum.* En antiquissimum morem Judaeorum, qui cum victores in bello existerent, victos & prostratos hostes pedibus solebant calcare.

Simili modo calcatus est Christus ab impiis Judaeis ac Deicidis in primo, secundo & tertio lapsu sub cruce, ubi sicut miles victus, & ut hostis eorum in acie lapsus, prostritus est pedibus eorum. O pientissime Jesu, Filii Altissimi, an potuisti magis humiliari? *Attritus est propter scelera nostra.* O Christiane Lector! considera peccata tua, quae magna pars illius exercitus extiterunt, qui in Christum irruit, quia *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum,* Isa. 53. 5. Isa. 53. 6.

5. Paulus Doctor Gentium, ubi ad Hebræos scribit, eos monet, ac docet, non hostias Aaronicas, licet permultas, sed unam Christi Mediatoris nostri in cruce hostiam expiare peccata omnia. Exinde à dogmatibus ad mores transiens, infert, & urget Hebræos, ut in fide Christi constanter permaneant; & adducit exemplum de lege Moysis violata, si enim vel unicum præceptum Moysis olim Hebræi transgrediebantur, gravissimè, & sæpiùs ipsà morte puniebantur: *Quanto magis, pergit idem Apostolus, putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit.* Et quinam sunt illi, qui Filium Dei conculcant?

R. Galenus & alii: Hi sunt qui peccatum mortale liberè admittunt, per hoc enim implicite & interpretative contemnunt, & quasi conculcant gratiam, redemptionem, mortem & sanguinem Christi. 2. Hi sunt, qui nimium superbiunt, & proximum aspernantur. 3. Hi sunt, qui indignè accedunt ad SS. Sacramenta, & præcipue ad SS. Eucharistiam, tales erunt rei corporis & sanguinis Christi; Supra quod

1. Cor. II. 28.

S. Chryostomus: *Reus est talis cadis Dominica, ac si Dominum occidisset, & Christi sanguinem effudisset.* 4. Hi sunt, qui Christi membra, id est, viros justos calcant, ac persequuntur. 5. Hi sunt blasphemi, perjuri, injusti, luxuriosi, avari, temulenti & similis farina homines: qui per peccata sua quotidiana Christum calcant; sed caveant hi miseri, ne puniantur

Hebr. 10. 29.

à DEO, sicut prædixit S. Paulus: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit?*

Honor. Aug.
lib. I. c. 33.

6. Si uva in torculari calcatur, & premitur, homo inde ditatur, & reficitur: Ita Christus sub, & in torculari crucis calcatus & pressus fudit sanguinem, sed homo inde ditatus est: *Uva, inquit, Honorius Augustodunensis, in pralo duobus lignis expressa in vinum liquatur: Et Christus duobus lignis Crucis pressus, sanguis ejus in potum fidelibus fundebatur.* O peccatrix anima, quid rependis amantissimo Redemptori tuo pro te tot contumeliis, tot doloribus affecto, tot vulneribus saucio, tot cruciatibus presso? Ah quid rependis; Et nondum amas crucifixum Jesum? Vade, anathema es.

Bernhardin.
de Busto ser.
7. part. 3.

Refert Bernhardinus de Busto de scelerato Juvene, qui licet à fido amico de serâ faciendâ pœnitentiâ sæpiùs moneretur, eam semper eludit. Paulò post in gravem morbum incidit, admonetur iterum de instituendâ confessione, sed frustra omnia. Interim tristis rediit amicus domum, & in nocturna quiete hanc visionem habuit: Visus est sibi videre Christum Dominum lacerato toto flagellis corpore, plenum vulneribus, & spineâ redimitum coronâ accedere ad ægrotum, & hisce verbis eum alloquentem: *Eccò lacerum spinis caput, & totum vulneribus saucium corpus, sed & apertum latus! his tibi etsi indigno parata, paratâ.*

*Que est Dei misericordia, si modo vitam tuam præteritam detestatus ad me conver-
taris. Mansit obstinatus heu! ille miser, tum Christus iratus expressum
de dextro lateris vulnere sanguinem in moribundi faciem projecions:
Hic, inquit, Sanguis meus in die judicii testis erit oblata tibi à me misericordia,
quam contempsisti. Expergefactus hoc viso amicus accurrit; reperit mor-
tuum, & faciem ejus recenti resperfam sanguine. O non sic,
ò bone JESU apud me.*



CONSIDERATIO LI.

Christus præferens crucem omnes fide-
les animat, ut & ipsi ferendo crucem suam,
sequantur.

*Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est
me dignus. Matth. 10. 38.*

I.

Volebant quondam filii Prophetarum, qui ob sanctitatem vitæ
& famam virtutis sequebantur ducem suum Elifeum, sibi
nova construere tuguria, in quibus commodè habitarent, &
DEO suo (tanquam primi Religiosi) inservirent. Et ecce
dum ad Jordanem ligna secarent, accidit, ut uni illorum
ferrum securis caderet in aquam. Et quid ille pauperculus? Clamavit
ad Elifeum: *Heu, heu, heu Domine mi: & hoc ipsum mutud acceperam.* Et 1. Reg. 6. 5.
quid Elifeus? *Præcidit lignum, & misit illuc: natavitque ferrum;* Angelus
enim juxta mentem Abulensis, lignum ab Eliseo præcisum, & in ma- Abulens. hic
nubrium adaptatum apprehendit, in fundum aquæ detulit, ferro inse- & alii.
ruit, in altum extulit, ac securim ibi fluitantem sustentavit, donec
eam lignator apprehenderet. Et quare hæc omnia? *R. Facta sunt nobis
in figura.*

Elifeus Christum adumbravit, ferrum in profundum cadens pec-
catorem, lignum illuc missum Dominicam crucem, per quam ex in-
ferni barathro liberati & extracti sumus. Ita S. Augustinus: *Veniens* S. Aug. serm;
vero *Elifeus misit lignum, & natavit ferrum. Quid est lignum mittere, & ferrum?* 210 de Temp.
Ginther Unus pro omnibus. B b in